

1995

C O D I C E S

1996

Praef. prioris Comment. ad Juliam Gonzagam diferte *Valdesius* *Versionis suae Psalmorum* meminit, quemadmodum supra in nostro *Prooemio*, et quod *Sandius* in *Biblioth. Antitrinit.* inter ejus *Scripta* *Commentarium in Evangelium Matthaei* recenset. Itaque hunc esse nostrum jam nullus ambigo, typis vero editum nunquam puto. De Autoris circa an. 1540. defuncti fati plurima collegit *Baylius* in *Diſt.* quem, si lubet, confule.

DXX.

872 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 28. f. inscribitur: *Contiones Breves ac Succinctae in Apocalypsim Joannis Apostoli in Tabulas redactae per Stephanum Szegedinum Pannonium.* Fata et *Scripta Stephani* hujus *Kis* five *Parvi* a natali loco dicti *Szegedini* e *Zwittingeri Specim. Hung. lit.* repraesentavit *Alex. Horányi* in *Memor. Hungaror.* P. III. p. 338. Redegit *Stephanus* in ejusmodi *Tabulas Analyticas* five *Compendiarias Psalmos, Prophe-tas IV. majores, Evangelia Matthaei et Jobannis, Actus Apost. Epistolas Apostolor.* et *Apocalypsin*, quae omnia lucem primum adspexere *Schabusiae* 1592. f. opera *Matth. Scaricaei Hung. Kevini*, qui se carmine praevio *Stephani* clientem profitetur. Ignoravit *Zwittingerus* in isthac Editione etiam *Tabulas* nostras *Apocalyplicas* contineri, quas *Basilae* primum prodidisse a. 1598.

et 1610. f. credidit. Praemittitur nobis *Decastichon Szegedini*, ut in edit. *Schaph.* ut etiam tritum illud *Distichon: Roma diu titubans &c.* sed *Hexastichon* nobis inscriptum: *Vox Angeli qua debortatur Pios a consortio Romanae Ecclesiae. Apoc. XIV. Scari-caeus* non habuit. Sequitur et in *Codice* et in Edit. *Epistola Dicatoria Szegedini* data: *Kalmanchini* (*Kalmáncséh*) qui *Pagus* est *Provinciae Simeghiensis* non procul *Sigetbo* et apud *Zwitting.* *Calmantsemum*, et in edit. *Kal-mantseba* audit, *Decimo Junij* a. 1561. ad *Sigismundum Galler* *Confiliar. Caes. e Styriaca* utique *Nobilitate*, non *Haller*, quem fecit *Editio cit. Helvetum* velut *quempiam.* *Gallerum* hunc *Sacris Protestantium* addictum fuisse inde liquet, quod eum *Szegedinus* acerrimus *Romanae Sedis* hostis, ut vel ex ejus *Speculo Pontiff. Rom.* patet, *Mecae-natem* suum vocet, eique *doctrinam vere pi-am* et *sacra studia* commendet. *Fol. 19.* sequitur: *Dispositio Epistolarum Pauli Decem quae sunt ad Ecclesias missae.* Haec quoque *Αναλυσις* praevio ad *Lectorem Ogdosticho Szegedini* extat edit. *Schaph. cit.* p. 323. contra ac *Zwittingerus* arbitratus est.

DXXI.

Codex membraneus lat. Sec. 666 XIII. ut videtur, ineuntis, Folior. 61. 4. non eodem, per totum nitore scriptus, rubricisque distinctus, a paullo recentiore manu

nu